



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Deligitur ordinarius Augustæ concionator.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

*Deligitur ordi-  
narius Augu-  
sta Conciona-  
tor.*

periore Ioannes Faber è sacra Prædicatorum familia, vir à doctrina clarus, & eloquentia, ordinarius in Ecclesia principe Augustana verbi diuini tractator. Igitur Cardinali Augustano permagno interesse existimati in Ciuitatem adeo nobilem adeoq; corruptam, vt vix pars decima integra restaret, vnde & confessio illa fermentum, ac firmamentum iniquitatis manasset, Societatis prædicatorum introduci, venit in mentem eam fore expeditissimam viam, si Canisio suggestum illud mandaretur. Id fieri nulla prope domesticæ administrationis fraude posse. Quippe urbem vel in medio sitam ad regēda Collegia commodam esse sedem, ac vicarium posse interdum Augustano substitui, cum Prouincia ei coram lustrāda esset. Nec non dato eo aditu strenuorum par sacerdotum acciri posse, qui porrigendis quoque sacramentis, & cetera Societatis industria rem pietatis curarent, vnde & Collegio demum via præminiretur. Hæc meditans vigilantissimus Præfatus cum rem ad Canonicos detulisset, tanto illi consensu probarunt; vt miraretur tantam concordiam Cardinalis; & pro diuini nutus, prosperique euentus argumento caperet. Igitur non ipse modo im-



do impense, sed & Canonici ea de re cum Lainio Societatis Præposito egerunt his literis.

R. in Christo Pater & Domine  
nobis obseruande.

*C*um anno elapso R. D. Ioānes Fabri sacra Theologia Doctor, & noster in Ecclesia Cathedrali concionator, qui per plures annos predicando, & scribendo munus suum nō segniter, sed summa cum laude apud nos exercuerat, non sine nostrorum, ac bonorum omnium mærore diem obisset suum, Nos verò tali egregio verbi Dei præcone destituti cerne-remus reliquias Catholica plebecula in hac celeberrima Germania Ciuitate, ceu oues pastore suo destitutas, ac palantes non in modico periculo oberrantium passim luporum versari: nihil magis necessarium duximus, quam ut primo quoque tempore alium, qui defuncti ipsius Fabri locum, & prouinciam pari laude, & successu sustineret, nancisceremur. Talium autem virorum apud nos hac præsertim tempestate, ubi pleraq; omnia Hæreticorū fermēto corrupta sunt, eo minor est numerus: quod si qui eruditione, & doctrina nō contemnenda præ-

Canonico-  
Augustano-  
rum litera de  
eare.